



# VETUS LATIUM

## SIVE

Positiones pauculae ex primis Latinitatis Exordiis Principisticis, & Grammaticalibus. Quas Illustrissimus Herulus Comitellus NICOLAUS KOHÁRY de Csábragh, & Szittnya &c. Studiorum horum Alumnus, & Initialis Mediae Classis Grammatices Tyrunculus in Avita Illustrissima Domo Szent-Antaliensi explicandas suscepit. Die      Mense      Annô 1731.



Ex Classe Infima Grammatices.

*Ad mentem Lexiconicorum Trinejarum  
Arithmetici*



Rudimenta habentia pro partibus materialibus Litteram, Syllabam, Dictionem, & Orationem; pro formalibus verò illas octo, ut in Emmanuele definimus cum communi: prima principia Latinitatis, quæ pro sui origine puram directionem admittunt.

### II.

Posteriores illæ partes bene dividuntur in magis, & minùs principales; In declinabiles, & indeclinabiles; quarum quatuor suò modò variabiles, reliquas invariabiles tenemus. Ex quibus Verbum, & Nomen cæteris præstant; de horum verò Definitione, & Divisione sentimus cum communi.

### III.

Interea Verbum partiri potest in Personale, & Impersonale; Illud priùs subdividitur vi generis in quinque species de quibus Emmanuel. Species verò Verbi Neutri quatuor similiter numerat adæquatè membra, utpote: Purè Neutrum, Substantivum, Neutro-Passivum, & Neutrale-Passivum.

### IV.

EX Divisione illa Verbi speciei derivatæ in Inchoativam, Meditativam, Frequentativam, & Diminutivam prima, utpote Inchoativa nec à

*Ver-  
Tunc est difficile habere magis  
& Autem labor A imperarum.*

Verbis Activis, nec ab aliis casum regentibus, sed à solis Neutris, & quidem secundæ Conjugationis suam derivationem fortiri consuevit.

## V.

**P**Ronomen definimus : positionem locò Nominis cum certa Personæ significatione ; Hujus partis convenientiùs asserimus esse Relativum *Qui*. De Interrogativo verò : *Quis*, sit dubium inter Nomen, & Pronomen ; Interea partis istius posterioris probabiliùs sex species fore tenemus, reducta huc significatione Interrogativa.

## VI.

**P**articipium postrema pars declinabilium aliquid à Nomine, aliquid à Verbo participat. Quod ratione accidentis Temporis dividitur Triariam, videlicet : in Præsens, Præteritum, & Futurum ; horum omnium terminationes varias optimè exponit Emmanuel.

## VII.

**P**ræpositio dicta à præponendo suis casibus subinde, & per accidens etiam postpositionis munus obire consuevit. Cæterum quoniam in præponendo aliquando est Inseparabilis, aliquando verò Separabilis ; inde est, quòd accepta in sensu separationis Regiminis casum expetat, juxta exigentiam Præcepti decimi.

## VIII.

**A**dverbium addi solitum Verbo varias explicat Circumstantias, cujus specialiores significationes sunt illæ : Temporis, & Loci. Et quidem prioris membri subdivisio resolvitur in certam significationem (dantur enim Adverbia etiam incerti Temporis) Præsens, Præteriti, & Futuri. Posterioris verò in Quietem in Loco, ad Locum, per Locum, & versùs Locum, de quibus plura Emmanuel.

## IX.

**I**nterjectio varios affectus in loquentibus & audientibus animorum excitans pro suo accidente figuram admittere renuit ; unde Particulas illas : *Nefas*, & *appage sis non tenemus componi*.

## X.

**C**onjunctio ultima Pars Indeclinabilium Vocem cum Voce, sensum cum sensu copulans post sex significationes in Emmanuele recensitas triplicem exigit positionem, nempe : Præpositivam, Subjunctivam, & Mediam. Pro varietate harum octo Partium Orationis tenemus novem esse accidentia earum, utpote : Numerum, Casum, Genus &c.

## Ex Parva Syntaxi.

### I.

**P**arva Syntaxis Compendium illius Majoris alia est Concordantiæ, alia Regiminis, alia Absoluta. Primæ divisionis membra sunt à prima Regula usque ad sextam inclusivè. Regiminis esse admittimus quinque, utpote : Præceptum septimum, octavum, nonum, decimum, & decimum quartum. Absoluta verò sibi vendicat : Præceptum undecimum, duodecimum, & decimum tertium.

### II.

## II.

**P**rimum Præceptum exigit appositum cum substantivo in genere, Numero, & Casu. Secundum Relativum cum Antecedente in genere, & numero, subinde verò etiam in casu. Tertium: Convenientiam Nominativi cum Verbo in numero, & persona.

## III.

**D**e eo tamen Quæstionem facimus: an Verbum cum Nominativo; vel è contra an Nominativus cum Verbo? Item an etiam Impersonalia Verba cum Nominativo concordare debeant? Cæterum licet Casus concordantiæ Verbi debeat esse Rectus, nihilominus Accusativus Præcepti quarti etiam ad Concordantiam reduci debet.

## IV.

**U**terque Nominativus Præcepti quinti sequitur Leges Concordantiæ, sicut etiam Casus Interrogationis, & Responſionis exceptis Vocativis, licet posterior hæc Concordantia minus propriè dicenda sit talis.

## V.

**S**ubstantiva res diversas significantia Constructionem Regiminis facere (si quidem unum regitur ab alio) Verba verò Activa, actionem significantia Accusativum Personæ, aut rei ex natura sua regere concludimus.

## VI.

**A**blativus cum Præpositione à vel ab Verborum Passivorum licet fieret ex Nominativo Verbi Activi, tamen ad Concordantiam non pertinet. Cætera autem Verba, quæ Casum suum cum Præpositione admittunt, vi huiusmodi Casus cum Præpositione ad Regimen pertinere dicimus.

## VII.

**D**ativi Communes Præcepti undecimi absolutam sibi vendicant Constructionem, sicut etiam Accusativi, aut Ablativi Præcepti duodecimi, cum hoc tamen discrimine, quod ad Interrogationem *Quandiu?* responderi possit per utrumque Casum, ad Interrogationem verò *Quando* tantum per Ablativum.

## VIII.

**A**blativos Præcepti Decimitertij etiam ad speciem absolutæ Constructionis revocamus, qui ex sola resolutione gignuntur. Si tamen quandoque Ablativus Instrumenti admittat Præpositionem *Cum*, ille de ordine Regiminis socium Viæ indigitabit.

## IX.

**G**erundia, Supina (non tamen Passivæ significationis) & Participia suorum Primitivorum regunt Casus juxta quadruplicem Regiminis diversitatem.

## X.

**P**ræter Variationes ordinarias finiti in Infinitum, Activi in Passivum etiam pro tenuitate illam Elegantiores ad Majorem cæteròquin Syntaxim attinentem Gerundivorum assumimus practicandam. Insuper certarum etiam particularum omissiones, utpote: *Si*, *Dum*, *postquam*, similiter Verbi *Debeo*, *Gratiâ* *Elegantia* *Latinitatis* quantum tenellus adhuc patietur Geniolus declarare studebimus.

# Ex Media Classe Grammatices.

## I.

**G**rammatica Vox Derivata, & Ars bene scribendi loquendiquè dividitur in Methodicam, & Historicam. Prior fundatur in Regulis communibus Emanuelis. Posterior verò in traditionibus Probatorum aliorum antiquiorum Grammaticorum.

## II.

**I**lla Methodica bifariam in Analogam, & Anomalam divisa agit de omni voce octo partium ad bene loquendum ordinabili; Cujus Partes numerantur Quatuor: Etymologia, Orthographia, Profodia, & Syntaxis. Prima vocum originem inquirat. Secunda rectum modum tradit scribendi. Tertia præscribit accentus, Quarta tandem rectam Combinationem Regiminis, & Concordantiæ subministrat.

## III.

**S**eptem Genera numerat Grammatica omnino diversa, Quorum tamen notitia in Tres tantùm reducitur Classes, puta: In significationem, Terminationem, & Authoritatem. Ad primam Classem octo revocantur Regulæ Generales, quarum postrema est: Trade notas Neutri, &c.

## IV.

**L**icet Poëtæ Profodiam sibi approprient, suo tamen modò etiam ad Grammatistas pertinet. Et quamvis pluribus arriserit Pronomina à Regulis Grammaticalibus excludere, ea tamen non secùs ad eas pertinere Judicamus, ac Ipsum v. g. Nomen DEUS.

CVIVs DIVInIs honorIbVs has  
saCraMVs assertIones.



*Contra*  
Hæc propositiones rectas esse, & consonas Doctrinae Peripateticæ atq; Arabicæ re famerè, proindeq; eas, imprimendâs censemus, si ita in de hinc Radisino Pauli An. fœderis Cu fœderi. Datum in Recemese.

*Ant. G. M. 1720.  
idem 91. Sup. 20.*